10,043/A

Kas XXII. V 21 9 43

Compendium

N. VI
18

957

A (G.A.A.)

Carded
Ley

66617

COMPENDIUM TOTIUS PHILOSOPHIÆ HERMETICÆ

Seu

THESES

Ex

UNIVERSA PHILOSOPHIA HERMETICA.

Ariſtotelicis viſæ paradoxæ, veris autem Philoſophis adeptis ùt veriſſimæ ſemper cognitæ, ex optimis Authoribus excerptæ, artem veram & nobiliſſimam Lapidis Philoſophici concernentes, totam Theoriam facili, ſuavi, brevi, novâ, & ſincera Methodô tradentes.

Authore

G. A. A. A. A.

Cum Permiſſu Superiorum.

Monachij Typis Mariæ Magdalenæ Riedlin Viduæ. 1732.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Allocutio
Ad Lectores.

O Philoſophiæ Diſcipuli! notate verba, ſignate myſteria! O Ariſtotelici inanes veſtras quæſtiones de Lana Caprina, de barba Hircina de ente rationis, de chimæris & hircocervis, ut inanis cirvagationis, de concavo lunæ, & cœtera omittite, & veræ Philoſophiæ Hermeticæ (quæ omnium Arcanorum in triplici Regno, animali, vegetabili, & minerali Perſcrutatrix eſt) in hærete.

Fateor libenter, Theſes meas vobis viſuras eſſe ab initio mirabiles, paradoxas, falſas, & erroneas, ſi autem accuratiori mentis trutina rem perpendetis, plura fundamenta quàm ex innumeris etiam Philoſophorum Hermeticorum libris diſcetis, quæ enim per plures annos tum per theoriam ſeù optimorum Authorum lectionem, tùm per praxin quandóque fermè quotidianam, & manuum mearum per carbones maculationem ac creberrimam per ignem læſionem didici, & in Compendium redegi. Cum tempore faventibus Superis plura hactenùs inaudita Poſte-

rita-

ritati relicturus , hæc ex ſolo amore mei proximi vobis communico , atque in veſtros favores vel maximè autem ferventes preces catholicas me commendo.



Theſis I.

LApis noſter eſt una res, unum compoſitum, conſtans Materia & forma Phyſica, ſemen aureum, tingens aurificum, tinctura ad album & rubeum penetrantiſſima, medicina optima omnium animalium, vegetabilium & mineralium, Ens minerale omnium perfectiſſimum, poſt Angelum & Hominem Creatura nobiliſſima, Verbô unico: Lapis noſter eſt unicus Mercurius Philoſophicus, animatus, dupplicatus, ſummè perfectus, ſummè tamen activus, a natura & arte ſimul completus & coagulatus.

Theſis 2. Lapis noſter conſtat ex duobus: nempe (ut dixi) ex materia & forma, unde â Philoſophis Rebis, bis res, dnpplex vel duæ res dicitur. The-

Theſis 3. Lapis noſter eſt triplex, ſeu conſtat tribus activis ſolùm principiis puriſſimis, Sale, Sulphure, & Mercurio, ſeparatis ab illis duobus paſſivis, principiis impuris, aquâ & terrâ.

Theſis 4. Lapis noſter eſt quadruplex, conſtans etiam ex quatuor Elementis vel Atomis, ſed ſummè perfectis, à Principiis paſſivis chimicis breviùs dictis longè diverſis.

Theſis 5. Hinc lapis noſter etiam eſt quintuplex (intellige rectè) non quidem quintum eſſe ſuprà quatuor Elementa, ſed quinta Eſſentia, ſeu extractum ex quatuor Elementis, & quinque Principiis Chymicis perfectiſſimum. Ideò à Philoſophis adeptus eſt innumera nomina & Encomia.

Theſis 6. Lapis noſter eſt animalis, non (ut putarunt multi fatui pſeudo Philoſophi) originem habens ex homine, vel animalibus, ſed

quia naturaliter ex ſemine, ſeu ſulphure auratô in terra philoſophica pura concipitur (uti animalia in Matrice) deinde in ovo noſtro philoſophico naturaliter arte juvante maturatur, naturaliter & ſuccceſivè non violentè in virtute creſcit, donec ad ſummam perfectionem perducatur, & ex hac ratione.

Theſis 7. Lapis noſter etiam naturalis, vegetabilis, & herbalis à Patre Philoſophorum aliiſque nuncupatur.

Theſis 8. Lapis noſter nullum heterogeneum ſuſcipit, ſed totus homogeneus eſt, nec violentiam patitur, ſed juxta naturam creſcere, & perfici debet: Hinc natura naturam ſuſcipit, natura naturam ſuperat & perficit, & ſola natura aurum Chymicum conficit: Artiſta ſolùm clauſtra naturæ aperit, activa paſſivis applicat, & ignem juxta naturam regit.

The-

Theſis 9. Etiamſi lapidem nullum principium chymicum intret propriè paſſivum (intellige per paſſivum impurum) attamen principia inter ſe activa ſeu pura debent eſſe agens & patiens; hinc ſulphur aureùm eſt anima, vel mas aut agens, ſal eſt, terra vel fæmina ſeù patiens.

Theſis 10. Lapis noſter Hermaphroditus eſt Màs ſimul & fœmina (non tamen Monſtrum chymicum) in metallis perfectis & imperfectis reperibilis, ſed clauſus, reperibilis nihilominus per artem.

Theſis 11. Lapis noſter ſervus fugitivus eſt (veluti Mercurius communis) ab initio, per gratiam divinam nihilo ſeciùs ſecundùm naturam ope artificis coagulatur, congelatur, maturatur, fixatur, albificatur & rubificatur.

Theſis 12. Nutrimentum noſtri Lapidis naturale eſſe debet; ab

ab initio, ſivè imbibitiones ſeu nutrimentum internum, ſivè externum regiminis ignis intelligas. Primum ſe habet ſicut lac reſpectû infantium ſucceſſivè duriora digerentium. Secundum conſideratur circa augmentum graduum ignis.

Theſis 13. Lapis denique noſter eſt plusquàm perfectiſſima ſolis Eſſentia.

Theſis 14. Lapis noſter fluxibilis eſt, & fluxibilitate reliqua ſuperat: ideòque ingreſſum habet liberrimum in omnia corpora metallica.

Theſis 15. Hinc mollia indurat, dura mollificat, omnia perficit, & ad perfectionem ducit.

Theſis 16. Etſi in ſe Lapis ſaltem fermentatus & multiplicatus fixiſſimus exiſtat, metallis tamen adjunctus ob homogeneitatem citiſſimè ſociabilis evadit,

&

& fluxibilitate prævenit, & ſuperat omnia.

Theſis 17. Lapis noſter calidus ſimul & frigidus eſt, mirentur quantum illis placet Ariſtotelici! quia omnia quatuor temperamenta vel elementa ob ſummam tandem eorum concoctionem, & pacem ac unionem continet, & ex hac ratione omnes morbos ſivè ex calore, ſivè ex frigore exortos radicitùs pellit: frigidus eſt ab initiô ob elementum aquæ prædominans, calidus in fine ob elementum ignis.

Theſis 18. Lapis noſter vel eſt primi, vel ſecundi, vel tertij ordinis.

Theſis 19. Idemquè ultimus ſeu tertij ordinis, vel ſaltem ter rotatus, vel etiam fermentatus, vel inſuper multiplicatus.

Theſis 20. Lapis noſter primi ordinis eſt quidem aurum perfectiſſi-

fectiſſimum, non naturale, ſicut aurum in terræ viſceribus natum, naturale tamen, quia naturaliter arte juvante factum, aurum eſt in quam altero naturali multò perfectius, medicina excellens, aurum non mortuum, ſed vivum ſeu activum, ſulphur rubeum fixum, Philoſophicum, attamen metalla imperfecta nondum tingens.

Theſis 21. Lapis noſter ſecundi ordinis priori perfectior eſt, Elixirium vitæ, & medicina univerſalis.

Theſis 22. Lapis noſter tertij ordinis eſt Ens minerale perfectiſſimum omni auro naturali multis millenis vicibus præſtantius, ſemen aurificum ſummè activum, aurum potabile nobiliſſimum, Medicina univerſalis, exterminatrix omnium morborum, qui naturaliter oriuntur, & ſupernaturaliter nondum ſunt miſſi ad mortem, Medicina

cina inquam nobiliſſima pro omnibus animalibus, & vegetabilibus, nondum tamen mineralibus.

Theſis 23. Hinc Lapis noſter fermentatus tingit omnia Metalla imperfecta in aurum perfectum.

Theſis 24. Teſtante Raymundô Lullô, Mare tingerem, ſi Mercurius eſſet: intellige benè, non quòd una pars lapidis noſtri una vice tingere poſſet infinitas partes corporis imperfecti, ſed quòd fermentum ſit ſui ipſius, & absque eo ut de novo (uti ab initio) debeat fieri, ſemper fermentari & multiplicari poſſit citiùs & faciliori modo ſicut enim fermentum totam maſſam fermentare poteſt, & ex ea iterum fieri fermentum, & ſic in infinitum: ſic etiam Lapis noſter.

Theſis 25. Lapis noſter quaſi mare immenſum eſt, fons & origo omnium tincturarum particularium.

The-

Theſis 26. Hinc omnis tinctura particularis originem habet ex univerſali opere, eàque (ſi non ſit ſophiſtica) eſt quaſi univerſalis imperfecta, benè inchoata ex fonte originali orta, ſed nondum perfecta,

Theſis 27. Ideóque quantum particularitas magìs ad univerſalitatem accedit, magisque matura eſt, eò perfectior exiſtit ad tingendum.

Theſis 28. Lapis noſter micro-coſmus mineralis eſt, ſicut homo microcoſmus ſecundùm macrocoſmum creatus compendium ipſius eſt, & complementum omnium tincturarum particularium in univerſo mundo.

Theſis 29. Sub humili Eccleſiæ cenſura dico, Lapidem noſtrum poſt hominem eſſe Dei Triunius imaginem etſi phiſicè corpoream, chymicè tamen ſpiritualem.

Theſis 30. Unde ſicut per ſimilitudinem in homine eſt unica

ani-

anima,tres autem diſtinctæ potentiæ,intellectus, voluntas,& memoria,ſic Pater, Filius & Spiritus Sanctus eſt unus Deus.

Theſis 31. Sic etiam etſi per remotiorem ſimilitudinem ſicut Pater,Filius,& Spiritus Sanctus Triunus Deus eſt, ita in Lapide noſtro ſal,ſulphur,& Mercurius,ſeu ſpiritus anima, & corpus eſt unum compoſitum & unus Lapis; Dixi autem per remotiorem ſimilitudinem, in Deo enim cùm ſit ens puriſſimum, ſimpliciſſimum, omnis compoſitio implicat,non autem inLapide noſtro ; qui idcirco etſi dicatur ſecundùm partem ſuam Mercurialem etiam Spiritus : eſt autem ſolumodo Spiritus chymicus,non immortalis ſicut anima hominis,vel Angelus,ſed dicitur ſpiritus & anima in quovis naturali corpore per ſimilitudinem ab homine.

Theſis 32. Lapis noſter Re-

ſurrectionem mortuorum ſat ingenioſè demonſtrat, non minùs, quàm in Regno vegetabili, in vere revirentia prata.

Theſis 33. Oportet hoc corruptibile induere incorruptionem (teſtante Sancto Apoſtolo) & ſeminatur corpus mortale, ut reſurgat ſpirituale. Sic in noſtro labore chymico fit primò puri ab impuro ſeparatio (ſicut in morte ſeparatur anima à corpore) & Lapis noſter totus per putrefactionem moritur: ut ſpiritualis ſummè activus in novo corpore perfecto reſurgere poſſit.

Theſis 34. Quatuor dotes reſuſcitandi glorioſi humani corporis etiam Lapis noſter repræſentat: quæ ſunt immortalitas, impaſſibilitas, ſplendor & agilitas. Has dotes in ſuo ſenſû per ſimilitudinem poſſidet reſuſcitatus Lapis noſter; Hinc enim eſt immortalis & im-

impaſſibilis in igne, agilis & celerrimus ad tingenda corpora metallica & curanda omnia naturalia, ſplendens denique propter ſuam etſi nigro-rubeam, attamen ſupereminentem pulchritudinem.

Theſ. 35. Materia noſtri Lapidis, alia eſt remota, alia proxima.

Theſ. 36. Materia remota eſt, Electrum minus vel immaturum, Magneſia, vel ab aliis Minera ſaturnina vocata, non tamen Saturni ſoboles, ſed Ens aliquod inchoatum imperfectum vel confuſum.

Theſ. 37. Ex hac Minera (arte juvante) educitur materia proxima, Sperma metallorum, Mercurius Philoſophorum.

Theſ. 38. Materia proxima noſtri Lapidis inquam eſt Mercurius Philoſophorum: hoc eſt, Materia remota debet reſolvi in Materiam primam metallorum, ſeu in Mercurium vel aquam mercurialem, ſeu

clariùs in Spiritum Mercurij, qui ſpiritus juxta naturam aſſumptis anima & corpore propriis, tandem in vaſe naturaliter ſe ipſum ſolvit; ſe ipſum coagulat, albificat & rubificat.

Theſ. 39. Hinc ſequitur, Materiam noſtri Lapidis non eſſe quærendam in animalibus vel vegetabilibus, nec in Salibus, aut aluminibus.

Theſ. 40. Materia noſtri lapidis adæquatè neque in perfecto aliquo metallo eſt reperibilis, niſi quis corpus perfectum vellet reſolvere in materiam primam, & activum reddere, ſed per hanc viam plurimi ditiſſimi depauperati ſunt, nec unus ex illo confecit.

Theſ. 41. Hæc etiam via conficiendi Lapidem noſtrum non eſſet pro pauperibus. Providentia autem divina non minùs in pauperibus, ſed potiùs & magìs quàm in divitibus admiranda eſt.

The-

Theſ. 42. Hinc Materia noſtri Lapidis adæquata minùs in aliquo Metallo imperfecto reperitur.

Theſ. 43. Sicut enim in Regno animali nec unicus Pater, vel nec unica ſola Mater poteſt generare animal ſed ambo ſimul.

Theſ. 44. Et in Regno vegetabili nec ſolum ſemen, quod vices maſculi ſubit, nec ſola terra, quæ fœminam agit, ſed ambo ſimul vegetabile producunt, unà cum congruente pluvia.

Theſ. 45, Sic etiam in Regno minerali ad conficiendum noſtrum Lapidem requiritur Mas cum fœmina, & ſicut ſol ut maſculus in terræ viſceribus tanquam in fœmina naturaliter generat omnia metalla, ſic etiam per Côitum maris mineralis cum fœmina creſcit & generatur in vaſe noſtro Lapis noſter.

Theſ. 46. Cauſa efficiens extrinſeca Lapidis eſt ignis, quia lapis ſine

hoc generari non poteſt, ab initio levis ſucceſſivè ſemper fortior & augendus.

Theſ. 47. Cauſa efficiens intrinſeca juxta Helmontium eſt Archæus ſeu vis nativa intrinſeca Lapidis.

Theſ. 48. Nam iuxta omnes Adeptos ſeu Magiſtros noſtræ artis Lapis ſe ipſum mortificat, & vivificat, nigrificat, pavonificat, albificat, & rubificat.

Theſ. 49. Juxta Philoſophorum Patrem in tabula Smaragdina Pater ejus eſt ſol, Mater eius Luna, non tamen ſol, aut Luna communis, ſed Sol Philoſophicus, & Luna Philoſophica.

Theſ. 50. In via ſicca ſol & luna etiam communes, item & Mercurius communis accipi poſſunt.

Theſ. 51. Ita tamen, ut Luna communis opera non fœminæ ſed viri exerceat, nam Luna quatenùs

nùs Mater & Fœmina ſolùm Luna Philoſophica eſt.

Theſ. 52. Quæ eſt Beya noſtra ſplendida Gabritio ſuo vel ſponſo rubeo nubens, & in primo Congreſſu eum etiam albificans.

Theſ. 53. Una pars corporis maſculi vel ſeminis virilis aurei duas vel tres partes ſeminis vel corporis fœminei requirit.

Theſ. 54. Tres ſunt ſpecies ſeu tria Principia Lapidis, ùt theſi tertia dictum, Sal, Sulphur & Mercurius, vel ſpiritus anima & corpus, nullúmque ex his ſolum eſt Lapidis Principium, ſed omnes tres ſpecies ſimul ſumptæ & proportionaliter commixtæ certô temporis ſpatiô Lapidem noſtrum conficiunt vel conſtituunt.

Theſis 55. Nam ſicut tres ſpeciès Lupulus, aqua, & hordeum toſtum Cereviſiam tanquam unum compoſitum conſtituunt, ita ſal, ſulphur, & Mercurius unum Lapidem noſtrum.

 Theſ.

Theſ. 56. Si autem primum Ens vel Principium Lapidis ſeorſim conſiderare libeat, Principium primum Mercurius vel ſpiritus Mercurij vocari poteſt, qui movet & vivificat Lapidem.

Theſ. 57. Sal vel Corpus Principium fixitatis eſt. Mercurius cauſa & principium vitæ. Sulphur autem eſt medium vel gluten inter corpus & ſpiritum. Seù ſulphur medium Conjungens eſt, vel principium conjunctionis.

Theſ. 58. Duæ viæ ſunt ad acquirendum noſtrum Lapidem, Humida & ſicca.

Theſ. 59. Hinc variè loquuntur Philoſophi, & multifariè ſua principia nominant, aliter de via ſicca, aliter de humida ſentiendum eſt.

Theſ. 60. Lapis noſter per viam Humidam pro vegetabilibus & animalibus eſt medicina melior.

Theſ. 61. Econtra pro mineralibus præſtat Lapis factus per viam ſiccam.

Theſ. 62. Poſterior via eſt longior, prior brevior & ſecurior.

Theſ. 63. In qualibet via requirit patrem & matrem, maſculum & fœminam.

Theſ. 64. Forma noſtri Lapidis alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca.

Theſ. 65. Forma intrinſeca eſt aurea ſulphurea perfectiſſima aurô ipſô plusquam millies perfectior.

Theſ. 66. Lapis noſter non eſt propriè Lapis, ſed pulvis ſubtiliſſimus & ſummè Alkoholicus.

Theſis 67. Pondus noſtri Lapidis eſt maxima gravitas.

Theſ. 68. Forma extrinſeca eſt rubro-nigra vel potiùs nigro-rubea propter ſupereminentem rubedinem & tingendi virtutem.

Theſ. 69. Implicat Lapidem noſtrum naturaliter generari in terræ viſceribus etiam per multorum millium annorum tempora.

Theſ. 70, Hinc tamen non ſe-

quitur, Lapidem noſtrum non naturalem eſſe, vel à Philoſophis per artem naturâ juvante confici non poſſe.

Theſ. 71. Ratio eſt, quia in terræ viſceribus omnia impleta ſunt nimiis adjunctis impuritatibus: Hinc quia lapidem noſtrum nulla impuritas intrat, ibidem propter nimias Heterogeneitates generari non poſſet, quas omnes Artiſta removere valet.

Theſ. 72. Malè igitur argumentantur aliqui Ariſtotelici, aurum per artem chymicam confici non poſſe, quia à rei ignorantia, ad rei non exiſtentiam non eſt bona conſequentia.

Theſ. 73. Theſi octavâ jam dixi, falſum profari quoſdam Phyſicos, aurum noſtrum artificiale eſſe, illud enim aurum, quod per ſolam artem & contra naturam fit, ſophiſticum eſt, noſtrum autem aurum naturale eſt, quia natura illud in noſtris vaſ-

uc-

culis, abjectis omnibus impuritatibus citiùs & multò faciliùs coquit, quàm in terræ viſceribus.

Theſ. 74. Hinc unicum requiritur vaſculum pro conficiendô vel ſaltem finiendô noſtro labore, opere, vel lapide, ovum nempe Philoſophicum.

Theſ. 75. In multitudine rerum ars non conſiſtit, hinc unicus requiritur locus, vel fornax pro abſolvendo noſtro lapide Athanor vel vulgò piger Henricus dictus.

Theſ. 76. Hinc errant quàm plurimi Pſeudo-Chymici, variis vaſibus & inſtrumentis utentes, aliáque excogitantes innumera, hi enim non per naturam ſed per artem aurum vel lapidem excoquere tentant.

Theſ. 77. Applicatio noſtri lapidis pro Metallis eſt convenientiſſima ceræ particulæ implicata pro hominibus in Spiritu vini & formâ liquida exhibita.

The-

Theſ. 78. Multiplicatio vel projectio lapidis fit commodiſſimè, ſi proijciantur decem ſuprà decem, hoc eſt, una pars lapidis ſupra decem partes Mercurij calefacti vel corporis alicuius alterius imperfecti: hæcque projectio iteretur toties, donec compoſitio non ampliùs vitrea vel frangibilis, ſed verè metallica alba vel rubea iuxta diverſitatem lapidis appareat.

Theſ. 79. Lapis noſter unius anni tempore, vel etiam decem menſium perfici poteſt.

Theſ. 80. Tempus trium vel octo dierum (uti aliqui loquuntur Philoſophi) non ſufficit, illíque intelligendi ſunt de antecedenti labore vel præparatione lapidis.

Theſ. 81. Lapis noſter non magnas expenſas requirit, ſed pretium duorum aureorum exceptis laboribus & carbonibus ei ſufficit: niſi

ſi quis in majori quantitate lapidem conficere velit.

Theſ. 82. Quatuor tantum ignis gradus ponunt Chimiatri: primus gradus eſt Balnei, ſecundus cinerum, tertius arenæ, quartus ignis aperti.

Theſ. 83. Quatuor principaliores colores etiam apparent in confectione lapidis noſtri: Primus color eſt corvi caput ſeù nigredo: Secundus cauda pavonis vel colores iridis ſeù varij: Tertius Regina alba ſeù perfecta albedo: Quartus deniquè color perfectus, Rex Rubeus, ſeù maxima rubedo.

Theſ. 84, Hinc alij colores, qui apparent in noſtro opere, accidentales ſolùm ſunt, breviori tempore durantes.

Theſ 85. Tres priores gradus indicantur verſibus ſequentibus, primus formetur, ut ſenſus ei dominetur, ſenſibus æquato gaudet natura ſe-

ſecundo, tertius excedit, ſed & hunc tolerantia lœdit.

Theſ. 86. Lapis noſter (uti theſi quarta dictum) ex quatuor elementis conſtat, & de omnibus participat. De aquâ, dum primò fluidus eſt: De terra, dum putrefactus & niger evadit: De äere, dum ſublimatus fit: De igne, dum tandem Rex rubefactus & præparatus exiſtit, & ſic etiam quatuor ignis gradus ſucceſſivê expoſtulat.

Theſ. 87. Lapis noſter etiam ſpiritualis dicitur, quia Mercurialis eſt, Mercurius autem à Ppiloſophis inter Spiritus computatur, idcircò (uti theſi undecima dictum) ſervus fugitivus vocatur.

Theſ. 88. Hinc Hermes dicit in libro Arcani: Lapis noſter eſt de animata re, id eſt de ſpirituali. Spiritus autem noſtri dicuntur Spiritus per ſimilitudinem, non per proprietatem.

The-

Theſ. 89. Lapis noſter etiam lac, & ſanguis dicitur, lac, dum eſt albus; ſanguis dum fit rubeus & perfectus.

Theſ. 90. Hinc iterum dixit Philoſophus ſeù Philoſophorum Pater citatus Hermes; fac de lacte ſanguinem fluentem, hoc eſt: Fac: ut Lapis albus per fortiorem ignem rubificetur.

Theſ. 91. Effectus Lapidis eſt, morbos & paupertatem repellere, hinc dicitur Lapis ſanitatis & divitiarum, omnes quippe morbi cędunt noſtro Lapidi, morbi interni non ab extrinſeco lethali vulnere provenientes, morbi interni autem illi, qui divinitus nondum ſunt immiſſi ad mortem.

Theſ. 92. Hinc itidem duo fines ſunt noſtri Lapidis, ùt primariò ſanam reddat vitam, vitæque noſtræ renovationem: Secundariò repellat paupertatem.

The-

Theſ. 93. Finis multorum Chimiatrorum quidem eſt ſervire Mammonæ & diteſcere, juxta illud: auri ſacra fames. Sed Deus non ob hunc finem creavit noſtrum Lapidem. Finis autem hic avarorum per accidens ſe habet reſpectu noſtri Lapidis, vel artis chimicæ.

Theſ. 94. Etſi ſæpiſſimè contradicere noſtri viedeantur Philoſophi, in mentibus & animis tamen ſuis ſemper conveniunt.

Theſ. 95. Hinc innumera excogitârunt vocabula, quibus artem ſuam occultant, ut ſolis ſcientificis & bonis mentem ſuam aperiant, Idiotas autem vel malos aut incautos decipiant.

Theſ. 96. Non tamen exinde in tantùm culpandi ſunt, quia nequè voluit ipſemet omnipotens Deus ter optimus Maximus, ut hæc ars nobiliſſima communis fiat, quæ facilis, attamen occulta eſt, & in perni-

niciem vergeret multorum hominum eâdem abutentium.

Nos autem ſemper Creatori noſtro agamus gratias, qui creavit & indi avit nobis noſtrum lapidem, Creaturam poſt Angelum & Hominem ex omnibus nobiliſſimam.

APPENDIX.

COronidis locô ventilandam ſuſcepi Quæſtionem celebrem, non inter adeptos & veros Philoſophos, ſed inter putatitios & Phyſicos Ariſtotelicos ortam. An arte chymica confici poſſit verum aurum, ſeu an Transmutatio Mettalorum arte chymica ſit poſſibilis? ſivè per tincturas particulares, ſive per medicinam unierſalem ſeù prædictum lapidem noſtrum.

Reſponſio in promptû affirmati-

mativa eſt: & probatur. Si ars aurificativa eſſet impoſſibilis: tunc eſſet vel ex parte materiæ vel ex parte formæ, vel ex parte modi producendi, ex nulla autem parte impoſſibilis eſt ex prædictis, ergo non impoſſibilis eſt, ergo poſſibilis eſt. Minor probatur imprimis non eſt impoſſibilis ex parte materiæ. Hæc enim juxta Ariſtotelicos, eſt una in omnibus corporibus ſublunaribus multò magis in metallicis, ſucceſivè appetens & diviſim omnes formas, nec nobiliores præ ignobilioribus, ſolam capacitatem recipiendi formas, juxta diverſitatem diſpoſitionis habens, hincque definitur âb ipſô Ariſtotele poſitivè eſſe: Subjectum primum uniuscujusque. ex quo fit aliquid, cùm inſit non ſecundùm accidens. Ergo: Secundò ars noſtra non eſt impoſſibilis ex parte formæ quod probatur, quando in

arte

arte aurifactoria vel transmutatione metallorum nullo modo vitiatur definitio formæ, tunc hæc ars non eſt impoſſibilis. Sed nullô modô vitiatur definitio formæ: Ergo: Minor probatur. Forma definitur, quòd ſit actus primus corporis naturalis, ſed hæc definitio non vitiatur: Ergò, minor iterum probatur. Quamvis ſi verbi gratiâ forma argenti transmutetur in formam auri, non tamen vitiatur, ſed conſervatur Definitio formæ auri; Ergo Definitio formæ non vitiatur. Antecedens probatur, ſicut anteà forma argenti fuit actus primus corporis Metallici argentei, ſic æquè fit & manet actus primus auri, ergo: Antecedens iterum probatur ab inſtantia ſimili. Sicut forma ligni eſt actus primus ligni per combuſtionem autem vertitur & fit actus primus vel forma ignis & cinerum, & ſi-

cut forma carnis, ſi corrumpatur, convertitur in formam vermis, ſicque ſuccedit una forma alteri juxta diverſam Diſpoſitionem, ergo etiam ſi maturetur argentum juvante naturâ per artem, poteſt fieri aurum, & ſuccedit forma auri formæ argenti, manétque actus primus auri ſicut anteà fuit argenti, & quis mihi negabit majorem eſſe diſtantiam inter formam ligni, & inter formam lapidis, quàm inter aurum & argentum, & tamen ego ſcio formam ligni convertere in formam lapidis, ergo citiùs & faciliùs argentum convertere in aurum, tam facilè enim eſt noſtro ſcientifico ex argento aurum facere, quàm ex ligno producere aut ex ſilice excutere ignem. Prior operatio eſt opus mèchanicum cuivis notum, altera autem artificioſa & occulta.

Ex parte modi producendi, major

jor ſe offert difficultas, ſed tamen hic modus etſi ſit occultus, non tamen ideò dicendus eſt impoſſibilis, ars enim non habet oſorem, niſi ignorantem; & non omne debet dici impoſſibile, quod non cuivis eſt practicabile vel perceptibile. Hunc modum autem non patefacio, ſed tamen probo. Spoliatio accidentium eſt utique poſſibilis, imò juxta Thomiſtas in Corruptione corporis naturalis fit planè reſolutio usquè ad materiam primam, ſed in transmutatione metallorum fit tantùm ſpoliatio accidentium; ergo: Minor probatur, juxtà veros noſtros Philoſophos metalla in radice ſua omnia conveniunt, & ſolùm accidentaliter ſecundùm magis vel minus perfectum & adjunctas impuritates differunt. Ergo in transmutatione metallorum fit tantum ſpoliatio accidentium. Antecedens pro-

batur, juxta ipſum Ariſtotelem, ſulphur non adurens (intelligit ille ſulphur perfectum fixum & tingens) coagulat Mercurium, ſed tale ſulphur inveniri poteſt in omnibus Metallis, ergo in radice ſua ſeù in ſulphure non adurenti fixô & perfecto Metalla non differunt. Minor probatur juxta gebrum Regem Arabiæ librô fornacium capitulo 16. ex cuprô educitur ſulphur tingens & fixum, & quod geber affirmat de cupro, poſſum (ſi placet oſtendere, artémque hanc calleo de omnibus cæteris imperfectis metallis, ergo &c.

Quæres autem unde proveniat tanta metallorum diverſitas. Reſpondeo: provenire non ex diverſa radice, ſed Diſpoſitione & conſtitutione viſcerum terræ diversâ & ex commixtione ac adhærentiâ impuritatum accidentalium. Si ergo conveniat Sulphur rubeum fixum

fixum purum cum argentô fixô rubeô puro, generatur aurum & ſi conveniat ſulphur album fixum purum cum argento albo fixo puro, generatur argentum. Si autem ſimul conveniat nimia terreſtreitas, impuritas, argenti vivi non fixi aut ſulphuris non fixi quantitas pro diverſitate horum accidentium, diverſum & imperfectum generatur metallum. Hæc autem accidentia per artem iterum poſſunt removeri; ars ergo poſtulat ſolum metallis imperfectis ſuperfluum demere, & id, quod deeſt, addere, atquè ſic ad perfectionem reducere, metallúmque transmutare. —— Ne nimium ſcholas offenderem admiſi contra Helmontium Toparcham Belgicum Philoſophum etſi præclariſſimum, mordaciſſimum tamen omnium Ariſtotelicorum & Galeniſtarum malleum (qui unicum tantum principium, aquam nempe admittit) admiſi inquam cum phyſicis Theſi
 ſecun-

ſecundâ materiam & formam ut Phyſicus, quatenus corpus naturale eſt compoſitum ex his principiis conſtitutum, idem enim objectum habet Phyſica, ars chymica & medica; nempe corpus naturale, ſed ſub diverſa formalitate, & ſic etiam admitto metalla eſſe ſpecie diverſa.

Quia autem ùt Chymicus corpus naturale ſolùm conſidero, quatenùs eſt ſolubile, & coagulabile, ſub hac formalitate & conſideratione admitto quinque Principia; aquam, Mercurium, Sulphur, Salem, & terram: primum & ultimum, impurum & paſſivum, reliqua activa & pura, & ſub hac conſideratione dico, metalla in radice ſua intima convenire & differre ſolùm accidentaliter.

Transmutatio Metallorum probatur ulterius, qualis cauſa, talis effectus, quale eſt ſemen, talis eſt fructus, hoc tamen non obſtante

varia-

variatur quandoque fructus, atque ex ſemine tritici Hyemalis in locis frigidis (ut experientiâ abundè conſtat) generatur ſæpiùs ſiligo , imò etiam Rubigo . ſi ergo poteſt mutari fructus frumenti in aliud ſpecie diverſum,ergo etiam metallum in aliud formâ phyſica diverſum.

Si dicis, hoc fieri in terra omnium vegetabilium matrice & naturaliter non artificioſè. Dico ego, nullum corpus generatur ſine Patre & matre , in vegetabili, ſemen maſculus, terra fœmina vel mater eſt,in animalibus ſimiliter patet , in mineralibus Pater eſt ſol , Mater itidem terra,ſed ſol quid aliud , quam calor eſt, calor ergò ſolem & vices maſculi ſubire poteſt, locô matris vel matricis autem ſunt noſtra vaſcula philoſophica , & hæ cauſæ ſolùm remotæ ſunt & extrinſecæ, cauſæ autem intrinſecæ juxta noſtros Philoſophos non ſunt materia & forma , ſed cauſa

efficiens intrinſeca eſt Archæus ſeù vis activa intrinſeca nativa etiam per artem adjuta, hæcque eſt maſculus, mater autem eſt vis paſſiva intrinſeca tincturam recipiens.

Et quid dicis, juxta Ariſtotelicos omne corpus habens animam ſenſitivam perfectius eſt corpore non ſenſitivô, ſicque corpus muſcæ perfectiùs eſt ſecundùm formam ſubſtantialem aurô. Et tamen talia animalcula juxta peripateticos, ùt Ranæ, Pulices, Pediculi, corpora perfectiora poſſunt naſci extrà naturalem matricem, quantò magis ergò corpora metallica, utpotè juxta adverſarios corpora imperfectiora.

Obiicies primò. Aurum Chymicum ſolùm habet qualitates auri extrinſecas & accidentales, uti ſplendorem, gravitatem & Surditatem &c: non autem qualitates & virtutes intrinſecas, ergo non eſt

ve-

verum aurum, ſed ſophiſticum; Reſpondeo negando antecedens; & contrarium probo, tunc aurum chymicum etiam habet qualitates intrinſecas, quando ſuſtinet omnes probationes veri auri, ſed aurum chymicum ſuſtinet omnes Probationes auri naturalis & veri, ergò eſt aurum verum & non ſophiſticum. Minor iterum probatur, Probationes veri auri, ſunt primò Cineritium, ſecundò Cœmentum regale. Tertio Aqua fortis: Quartò Antimonium, ſed has omnes Probationes ſuſtinet aurum chymicum, ergo omnes Probationes ſuſtinet veri auri.

Non eo inficias. Multos chymicos ſophiſticum conficere aurum & argentum, ſed hi non ſunt veri Chymici, Sophiſticatores enim & Deceptores ſunt, Calumniam autem hanc effugiunt veri Adepti & Chimiatri.

Obijcies ſecundò: Homo non poteſt generari extra matricem humanam, quia eſt animal perfectiſſimum, ergò nec aurum, quia eſt metallum perfectiſſimum. Reſpondeo negando aliquo modo Suppoſitum & cauſalem antecedentis.

Nam forma hominis ſeu anima non generatur ſed creatur ex nihilô, & quia Providentia divina voluit creare in ſola Matrice ſemine impleta animam, non eſt mirum, hominem extrà Matricem generari non poſſe via ordinaria, exinde autem non ſequitur comparatio ad aurum. Reſpondeo ſecundo apponendo ſimile argumentum, Leo non poteſt generari viâ ordinariâ extrà Matricem, quia animal forte & valde perfectum eſt, ergò neque pediculus extra ovum naturale, quia etiam animal eſt, ſi enim generari poſſunt extra Matricem animalia licet non ex pretio ex-

extrinſeco attamen ex forma ſubſtantiali perfectiora corpora , cur non etiam Metalla.

Obijcies tertiò : Leges civiles & Joannes Papa vigeſimus ſecundus hanc artem damnant, ergo vel impoſſibilis, vel hæc ars falſa & fallibilis & pernicioſa eſt. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, damnant artem veram nego, falſam & ſophiſticam concedo. Inferre inde debuiſſes potiùs, ergo hæc ars rara ignota dura & difficilis eſt , multi imò plurimi pro lapide omnia dilapidant, & pro auro potabili putabile conficiunt, multóſque decipiunt, inde tamen veri Philoſophi non culpandi, ſed ars vera juſta & ſincera manet.

Obijcies quartò contra Theſin 44. in quâ dicitur Materiam lapidis in nullo Metallo etiam perfecto inveniri, in auro utiquè materia lapidis invenienda eſt, ergò in aliquo Metallo adæquatè invenienda eſt:

Ante-

Antecedens probatur, juxta Theſin decimam tertiam Lapis eſt plusquam perfectiſſima Solis Eſſentia, ergo in auro utpotè metallo perfectiſſimo Materia Lapidis adæquatè invenienda eſt; Reſpondeo negando antecedens, ad probationem autem diſtinguo antecedens. Lapis in facto eſſe, in actu ſecundo seù ſtatû perfectionis concedo, Lapis in fieri, in actu primo vel ſtatu perficiendo, nego antecedens & conſequentiam, aurum enim corpus perfectum fixum & compactum non ampliùs perfici poteſt, corpus ergò aliquod imperfectum activum tamen & purificatum accipi debet, ut arte juvante, aliísque requiſitis concurrentibus in aliquod corpus perfectiſſimum activum seù in lapidem evadere poſſit.

Objicies quintò: Contra theſin nonam, nulla impuritas Lapidem intrat, ergo Theſis decima falſa eſt, quòd Lapis in Metallis imper

perfectis ſit reperibilis, ergo in ſolis perfectis aurô & argentô inveniri poteſt. Conſequentia probatur, nullum metallum imperfectum ſine impuritate exiſtit, ergo ſi nulla impuritas Lapidem intrat, in nullo Metallô imperfectô materia lapidis inveniri poteſt.

Reſpondeo concedendo antecedens, negando conſequentiam, ad probationem iterum antecedens conceditur, & diſtinquitur conſequens, adæquatè conceditur, inadæquatè negatur conſequentia. Illud enim, quod in Metallô imperfectô impurum eſt, abijcitur, & ſolum purum aſſumitur, hinc aliqua tinctura in omni Metallo imperfectô invenitur, quæ ſivè ad opus univerſale, ſive ad medicinas particulares inſervire poteſt.

Pro maiori Metallorum notitia definitiones eorum & naturas breviter aperiam. NB. Aurum eſt Corpus metallicum, calidum & humidum purum, ſecundum omnia quatuor

tuor Elementa debitè temperatum & compactum, habens ſeptem partes de Mercurio fixo, rubeo purô, & unam partem Sulphuris rubei puri & fixi, medicina idonea ad Elixirium noſtrum rubeum. — Vel aliter: Aurum eſt corpus metallicum citrinum, ponderoſum mutum, fulgidum, æqualiter in ventre terræ digeſtum, aquâ minerali diutiſſimè lavatum, ſub malleo extenſibile, fuſibile Examinationes Cineritij, ſeu cupellæ, aquæ fortis, Lupi Philoſophici, ſeu Antimonij, & Cæmenti regalis tolerans. Hinc non inferes definitionem hanc auro chymico non convenire, cùm non ſit in ventre terræ digeſtum, & aquâ minerali lavatum.

Reſpondeo enim hìc definitum eſſe aurum uti communiter naſcitur in terræ viſceribus, locô quorum vaſcula philoſophica æquè deſerviunt & in eis lavationes & purificationes citiùs meliùs & faciliùs quam

in

in terræ viſceribus fieri poſſunt.

Luna vel argentum eſt corpus Metallicum humidum & frigidum, purum perfectum, album, non tamen ita, ſicut aurum decoctum & compactum, habens ſeptem partes de Mercurio puro fixo albo, & unam partem ſulphuris puri albi & fixi tingentis, ſeù Metallum ad tincturam albam idoneum. Vel alirer Argentum eſt corpus metallicum album, albedine purâ & ſplendidâ, Mundum durum, ſonans, perdurans in Cineritiô ſeù Cupella, ſub Malleo extenſibile, ignibile, fuſibile tinctura ad album.

Stannum eſt corpus metallicum calidum & humidum album, albedine non ita perfectâ & ſplendida ac dura ſicut argentum, ideóque non corpus perfectum fuſibile, ſed non ignibile, cineritium non exſpectans, habens tres partes Mercurij plerumque non fixi, & quartam partem Sulphuris plerumquè etiam non fixi.

Vel

Vel aliter : ſtanum eſt corpus metallicum album non purum lividum, & ſonans parùm, terreitate pauca participans, ſtridorem, mollitiem liquefactionis ſine ignitione, velocitatem in radice poſſidens, Cineritium & Cœmentum non exſpectans, ſub malleo extenſibile. Plumbum eſt corpus metallicum imperfectum frigidum & ſiccum, lividum, terreum, ponderoſum, mutum, parùm participans de albedine cum lividitate multa, cineritium & Cæmentum refugiens, molle facile omni ſua dimenſione parva compreſſione, extenſibile & faciliter fuſibile ſine ignitione habens tres partes Sulphuris plerumque terrei virentis & unam ſolam ſeù quartam partem Mercurij etiam plerumquè terrei impuri & non fixi.

Mars vel ferrum aut chalybs eſt corpus metallicum imperfectum calidum & ſiccum, lividum multum, parùm verò rubeum albedine

non

non purâ participans durum ignibile, fuſibile, fuſione non rectâ, ſub Malleò extenſibile, & multum ſonans, habens ſeptem partes Sulphucis plerumquè terrei, & adurentis, & unam Solùm ſeù Octavam partem Mercurij Chalybs autem â ferro non differt, niſi in meliori excoctione & Duritie.

Cúprum eſt Corpus Metallicum Calidum & Siccum Minus autem quàm ferrum Metallum, Medium inter aurum & Argentum, terreum, terreitate tamen purâ & bene proportionata, Lividum rubedine fuſcâ participans, ignibile fuſibile, ſub Malleo extenſibile, cineritium & Cœmentum refugiens, habens æquales partes Sulphuris plerumquè adurentis & Mercurij non fixi.

Aurichalcum differt â cupro in colore Majori Mollitie, & faciliori fuſione, iterumquè faciliter in cuprum verti poteſt.

Mercurius, ſeu Argentum vivum

nondum eſt Metallum, ſed â Philoſophis inter-Spiritus computatur, omnibus Metallis ſe accommodat, cum aurô aurum, cum argento argentum, cum cupro cuprum, cum ferro ferrum, & ſic cum cæteris fieri poteſt. Definitur autem quòd ſit aqua viſcoſa in viſceribus terræ ſubſtantiæ ſubtilis albæ terræ, per calorem temperatiſſimum, unita totali unione per minima quousque humidu contemperetur à ſicco & ſiccum ab humidô æqualiter.

Hæc què pro hîc & nunc de naturis Metallorum ad Majorem Dei ter optimi maximi ejusqué Beatiſſimæ Virgineæ Matris, omniumquè ſanctorum Gloriam ſcripta ſufficiant.

Aucta-

AUCTARIUM.

IN quo traduntur practicè omnes labores ad Conficiendum noſtrum lapidem per Doctrinas paucas Rhythmicas.

Per tria verba aperiam totum Magiſterium noſtrum: Solve, Coagula, fige. Solve, ſepara purum ab impuro: abjectis impuritatibus coagula tria activa principia ex tribus fac unum: Deſtrue ſine miſericordia, ut reædifices cum lætitia: fac ut aſcendat in cœlum, iterumquè deſcendat ad terram, & recipiat vim ſuperiorum & inferiorum, & ut fiat id, quod eſt inferius ſicut id quod eſt ſuperius, & quod eſt ſuperius, fiat ſicut id, quod eſt inferius. Totum perficitur intra 12. Menſes & per 12. Operationes ſequentes: quorum 1ma eſt Calcinatio. 2.da Solutio. 3tia. Separatio. 4ta. Conjunctio. 5ta. Putrefactio. 6ta. Congelatio. 7. Cibatio. 8va. Sublimatio. 9na. Fermentatio. 10. Exaltatio. 11. Multiplicatio & 12. projectio.

Præmonitio.

NEmo miretur, ſi opuſculum poſterius, priori compareat obſcurius: Hic enim jam noſter mos eſt, ut theoria doceatur in lumine, praxis in tenebris, theoria ſine praxi (quæ ſola optima rerum in hac arte Magiſtra eſt) nihil valet, tantùm intellexeris, quantùm te ipſum exercueris, Dij enim laboribus omnia vendunt, & qui vult Manducare, debet laborare. Ego nulli laqueum inijcio, nec ad hanc artem addiſcendam (niſi cui Deus vult concedere lumen intelligentiæ) ullum allicio, ſcribo itaquè ut Chariſſimi Doctrinæ Filij inſtruantur, indigni & perverſi Confundantur.

Præ primis: Dic ſine fine preces, vacuam
Duc crimine vitam.
Fac ſapienter opus, fer patienter onus,
Feſtina lentè, patienti ſingula mente
Perficito, Deus eſt, quemque juvare poteſt
Ora ac exora, implora, bona detur ut hora
Si ſic orabis, munera multa Dabis.
Quique opus incoepit, coepto dabit ille Coronam,
Rex Regum R[illegible] qui dabit ipſe bonam

Tunc

Tunc tu gaudebis, bona multiplicata videbis
Qui tuus eſto ſcopus fine coronat opus.

Doctrina brevis & Inſtructio præambula de confectione lapidis.

OMnibus ante oculos verſatur, & unica res eſt,
In Se quæ formam ſuſcipit aurificam.
Forma Maris partes, ſed fæmina Materiej
Obtinet, illa manet fixa, ſed iſta fugit.
Et tamen ortu eadem, Dupplex licèt. unáque ſola eſt,
Res, Mineræ finis, principiumq́ue ſuæ,
Junge mari uxorem, conjunctos ſolve, putrefac,
Ablue, condenſa, fige, fit inde puer
Aureus, hunc ale lacte ſuo, totiesq́ue refinge
Tingat ut, & penetrans ceu nova cera fluat.
Bracteolis tandem puri ſociabilis auri
Fermentatur, ſi ſpiritus intrat opus
Cætera, ſive velis, mutare arte metalla
Seu libet affectis applicuiſſe Manus,
Hæc ſunt Alchymicæ Myſteria totius artis,
Non niſi Divinis experiunda ſophis.

Prænotatio.

ÆS noſtrum ſi ſcis, ſatis eſt, ſi cætera neſcis,
Hoc æs ſi neſcis, nil ſcis, ſi cætera noſcis;
Nam ſi petis ex meritis ſecretum Philoſophorum
Tunc operam perdis, frausque eſt in fine laborum.

Ænigma.

Lumbus ineſt homini qui conſtat ſex elementis cui P. ſi addideris S. in M. ſi vertere noſcis, Hoc erit Æs noſtrum, lapis eſt quoque Philoſophorum.

Solutio.

Plumbum Philoſophorum, ſeu Antimonium. N. B. in via ſicca.

Doctrina I.

Deus Terram dum creavit, Chaos noſtrum
Cógitavit, ad ſimilitudinem.
Omne erat tunc confuſum mirum exhibebat
Luſum, non habens pulchritudinem.
Attamen intra ſex dies (ſeptimo dabatur
Quies) omnes formas procreat,
Tu intra ſex menſes binos, facquóque
Labores trinos, ſeptimus te recreat.

Doctrina II.

Cum leone fac certare, Martem poſſit ut
Domare chaos noſtrum fortius.

In-

Invoca Plutonem noſtrum, qui ſat forte habet
roſtrum, ut Componat melius,
Fac ut videas ſtellatam hancReginam impræ
Gnatam magno deſiderio.
Hæc te Beja recreabit, pulchram tibi ſponſam
Dabit pro tuo Gabritio.

Doctrina III.

Nuptiæ ſi ritè factæ, & feliciter peractæ;
Hauſtum dat Mercurius,
Partem unam ſponſus, binas ſponſa, copulans
Bis trinas, & ſic fit ſecuriùs
Vinum nocet, aqua talis, qualis noſtra
Mineralis, ſemper Regi præplacet
Aqua noſtra congelata, quæ eſt è butyro
Nata, nec Reginæ Diſplicet.

Doctrina IV.

Ignis noſter vaporoſus, lapidi fit
Amoroſus, primum gradum indicat,
Non aſcendas ultrà ſcalas, donec Corvus
Suas Alas nigricantes retrahat,
Sicut ovum recens natum, lac â vaccâ
Impetratum, vaſculum ſit calidum.
Lapis donec moriatur, reſurgens perficiatur,
Nunquam fiat frigidum.

Doctrina V.

Si ſimul conjungas tria, erit tibi recta
Via, optima conjunctio.
Mercurius, pomum, Leo(Laus ſit ſemper
Sumo Deo) nulla ſeparatio.
Nil adjungas alienum, omne noſtrum arte
Plenum, ars naturam teneat
Quod contrarium videtur, aqua noſtra
Deſtilletur, ut nix clara ſplendeat.

Doctrina VI.

Sic fac putrefactionem, uſque ad
Mutationem, mori jam ſtatutum eſt,
Habes poſt mortalitatem incorruptibili-
tatem, Corpus jam adjutum eſt,
Corvum tuum ſi videbis, meritò tunc tu
Gaudebis, benè inchoatum eſt.
Poſt pavonem & Reginam, Regem & poſt
Rotam trinam, dices Conſumatum eſt.

Doctrina VII.

Si pavonis habes uſum, mirum tu videbis
Luſum, dum ſe pennæ explicant,
Vix in mundo tot colores, quot Diverſi
Tui rores, qui vas tuum circumdant.
Iris ſignum pacis factæ, & quietis jam pe-
ractæ.
Inter Elementa fit.

Iridem

Irident ſi tuum opus, ſic attingat tuus ſcopus,
Atque tua meta ſit.

Annotatio.

Veſcebatur interim carnibus pavonis & bibebat ſanguinem viridis Leonis ſibi quem Mercurius, telo Paſſionis miniſtrabat aureo ſcypho Babylonis.

Unde.

Ejus tunc multicolor cutis apparebat nunc nigra, nunc viridis, nunc rubea fiebat, ſe ſe quoque multoties ſurſum erigebat, & rurſum poſtea ſe ſe reponebat.

Epigramma.

Laudatas homini volucris Junonia pennas explicat, & formâ, Muta ſuperbit avis.

Doctrina VIII.

Albam ſi tenes Reginam, bonam habes
Medicinam, ſulphur noſtrum album eſt,
Circulum citrinum ſpecta, viâ ibis ignis rectâ
Opus tuum ſalvum eſt.
Ignem auge, rubeſcentem, & ſatis tibi
Splendentem, Regem Donec videas,
Quem ſi habes maturatum, & per ignem
Ter rotatum, meritò tunc gaudeas

Si Rex noſter Coronatus, & ter ſatis
Maturatus, paupertatem abigit.
Morbum quidem omnem pellit, mortem
Verò non repellit, finem tamen attigit.

Doctrina IX.

Ignem auge, ſicut dixi, Claram tibi
Metam fixi, ut errare nequeas,
Hæc eſt via ſat ſecura, primi ordinis
Tinctura, charam illam teneas,
Age grates ſummo Regi, qui Benignus
Suo Gregi tantam dedit gratiam,
Ut poſt vitam hanc Mortalem, dare
velit immortalem, & æternam gloriam

Doctrina X.

Per decapitationem, longam, imbibiti-
Onem, lentè moriatur Rex
Huic non parcas, tantum Macta, per
Virginem noſtram lacta, ſic cuſtodiatur lex
Fác ut veniant colores, juxta tempus
Diſcolores, uti ante actum eſt,
Omne petit tempus ſuum, ſic prudenter o-
pus tuum,
Et ſat aptè factum eſt.

Doctrina XI.

Hic Rex Noſter hâc Coronâ non contentus
plura bona
Inſuper deſiderat.

Au-

Aureâ hunc Coronabis, & fermentum ſo-
lis dabis,
Ut ars noſtra poſtulat.
Elementa ter rotabis diligenter circulabis,
Ut Rex fiat Rubeus,
Qui ſi ſatis maturatus, & in igne ſit fixatus,
Totus hic ſit aureus.

Doctrina XII.

Poteſt ſemper ſemel factus, fieri multipli-
catus,
Ad nutum artificis,
Eſt nam Corpus minerale, facit, ſicut
Vegetable ad inſtar multiplicis
Partem unam ſi ad decem (Cauſans uti
Dixi necem) laborem inſtitues.
Faciens ſic opus totum (reddens Deo tuum
votum)
Semper aptè finies.

Doctrina XIII.

Perge ad projectionem, pete Benedicti-
onem
Cœlum ut favori ſit,
Pauperum tu Miſereſce, & in pietate creſce
Bene ſic labore ſit

Ani-

Animarum recordare, tria regna meditare.
Ars Naturam adjuvet,
Qui ſic ſemper laborabit, Deus bonum finem
Dabit, opus bene faciet.

Ut modò dictas Doctrinas meliùs intelligas. Stude veſpertiliones quid ſint noſtri, quid leones, quid ſint corvi capita.

Quid ſint glires, quid ſint mures, quid ſciembus,
Quid gnarures, nomina ſic ſolita.
Quid ſerpentes, quid dracones, quid lacertæ
Quid pavones, Topper, quid redantruo
Azoth, ſernec, cilicendrum, ſincaptidem
Quid polendrum, quid ſit Rebis, quæ duo
Quid Realgar, Catarractri, laron, aqua
Saltabactri uſifur & Anathron,
Quid Carlæſter, quid polindrum, elembrot,
Happalapſindrum, Kibric, aſcalabotion.
Quid ſit Rex, & quid Regina, Tinctura &
Medicina, noſtra compoſitio,
Catachebes, æs Hermetis, atrop, aves
Et Hermetis, trina quid rotatio.
Lupus, draco mitigatus, pugil gur quid
Serpens natus, Beija & Dianna quid,
Calcothar, Bolus, fimus, quid ſit
Noſter ordo primus, Gabritius quid
noſter ſit.

Seri-

Serican, & circulatum majus, minus nobis
Natum, quid electrum, cogita.
Cælum totum cum planetis, aquilam cum ſuis
Metis, omnia conſidera.

Carmina de confectione lapidis & virtutibus ejus.

ARma, virumque cano noſtratis prælia gentis
Primus conflictus, Pluto ſit noſter Amicus.
Qui fluit in Martem, noſtram ſic adjuvat artem.
Expellit Regem, magno certamine legem
Implet, Reginæ, Cauſat quoque gaudia Dinas
Bejæ bis miſtæ, gaudet Gabritius iſte,
Hæc duo ſi fundas, juſto cum pondere jungas
Tunc ex ambobus reſtat res una Duobus.
Tertius & gaudet, Copulator ſi venit, audet
Res iſtas binas & in unum jungere trinas,
Deſtillato undam, parvo jace robore fundam
Hanc ſic Confectam, majali rore refectam
Digere per menſes tres, donec rexeris enſes
Per noſtrum fimum, graduum ſic elige primum,
Alter pavonem pellet, Regina leonem
Quarto jam feſto, certô riſibilis eſto,

Hic noſter finis primi ordinis eſt medicinis.
Decapito regem, totamquoqúe convoco plebem
Et lapidem macto, noſtra cum Virgine lacto,
Poſt primos rores, omnes repetóque labores
NB. Hæc jam jucundi fiet ordinis eſto ſecundi
Fermentum ſolvas, & cuncta priora revolvas
Atqúe reſume rotam, ſic artem Dirige totam
Multiplicare petis, repetas, gaude ſine metis
Nam lapis hic curat, caput aut cerebrum tibi ſi urat
Non ventrem mollit, tamen omnia Rheumata tollit.
Si febres horrent, aut membra tua omnia torrent
Ilia ſi torquent, ſi flatus undiqúe torpent
Si Furat peſtis, tantum eſt extrinſeca veſtis,
Nil facit Arthritis, morbus tantumodo mitis,
Omnis lepra fugit, clamoſa haud podagra mugit,
Parturiens ridet. nunquamqúe maniáque ſtridet,
Nil eſt pleuriſis, tum cuncta fugit paralyſis
Phthiſis pingveſcit, caro ſicut & hectica creſcit
Cancer diſcedit, venter, quem lumbricus urit,
Et ſanatur hydrops, omnis ſit morbus egenus

Icte-

Icterus haud tingit, cuncta atque iſchuria
mingit.
Fiſtula nulla canit, tuſſis quoque nullaque
ganit,
Et ſcabiem, & Mucum, cunctum pellitque
caducum
Veſica non filtrat, nullusquoque Calculus
intrat,
Morbus gallorum, ſine ſenſu fitqúeDolorum
Quæ Virgo absque roſis triſtatur nulla chlo-
roſis,
Nullum angina ortum, nullumque admit-
tit abortum,
Toxica non purgant, hypochondria nullá-
que turbant
Nil apoplexis agit, lapis hic dum in corpore
vagit,
Naturam inſtaurat, totum quoque corpus
inaurat
Annos dat ſanos, facit & juveneſcere Canos.
Non eſt æqualis noſtræ Medicina Sodalis
Saltem intra Menſem, morbis omnem
eripit enſem,
Si levior morbus, citiùs Natura reſurgit,
Ac intra paucos adjuvat illa Dies
Si Duo vel tria ſic ſumas in corpore grana,
Eſt doſis ipſa levis, noſtraque cura brevis.
Univerſalis non eſt medicinaque talis,
Cum mel ſicut apis det meus iſte lapis.

At

Attamen.

Omnia ſunt vana, ſint etſi tempora Cana
Vivere & omne meum, præter amare Deum.

Quia.

Contra vim mortis, non creſcit gramen in Hortis
Si lapis haud ſanet, mors ſuaquemque manet.
Statuta hæc cunctis cum humano Corpore junctis
Fors hodie hæc hora eſt, ultima prima mora.
Itaque ſemper memento mori.

F I N I S.